No. 18

Nobilissime Domine,

Nominis tui splendor, & insolita humanitas, quam inter alios
saepe praedicantem audivi magnum Heinsium nostrum, in caussa
sunt, ut me quoque auderem tollere humo, & aditum ad amicitiam
tuam patefacere. Audaciam grandem! Nec minorem fortassis,
quod nugis meis te interpellem. Sed hae nugae & seria ducunt;
elegantissimos scilicet versus Equitis Catsij, & doctissimas
insignium virorum de vitae termino dissertationes, quae meis facile
hederam suspendere potuerunt. Has scriptis medicis, quae partim affecta,
partim confecta habeo, praemittendas esse duxi. At de sanitate tuenda,
quod nunquam cogitaram, Catsio authore vernacula lingua scripsi.
Cum enim vir summus aliquando apud me deploraret, Scholam
Salernitanam à medico quodam lingua nostra loqui doctam, inter-
cidisse, retuli facilem iacturam esse: & quam supplere possem,
si illi tantum otij aut animi, ut argumentum singulis capitibus ipse
versibus praeponeret. Accepit promptè conditionem, &, quod unicè
admiratus sum, tanta facilitate & capitum argumenta expressit,
& versus, quos citabam, poëtarum vertit, ut mihi eos effundere,
non scribere videretur. Ab ingenij & dignitatum tanti viri
tecum similitudine, sperare incipio & meis aliquam favoris tui auram.
Inprimis cum primus Principum ea inspicere dignatus, sibi eorum
lectionem non iniucundam esse testatus sit. Nam Illustris D. Mylius
cum quaedam in ijs legisset, Principi, ut putabat, non incommoda: li-
bellum ad se missum heroi obtulit, postea ab eo, quis credat? etiam probatum.
Equidem non haberem fidem nobilissimo Mylio, nisi esset Mylius. Hoc
tamen dubitanti animum addidit, ut haec qualiacunque tibi viro omnibus
ingenij dotibus ad miraculum exornato mittere, & tandem, quod
intra verecundiam hactenus distuli, cultum et officia per lite-
ras interpretes offerre auderem. Ne igitur in ipso limine ni-
mia garrulitate offendam,

Extremum Hugeni quod te sic alloquor hoc est;
Scribe tui gregis hunc & fortem crede bonumque.

Deum veneror, Nobilissime Domine, thesaurum sanitatis tibi
proprium faxit, vitaeque tuae terminum ad Nestoreos annos
producat, Principi, patriae, seculo. Dordrechti XII. Jul. CIƆIƆCXXXVI

Nobiliss. nomini tuo
devotissimus cliens
Johan van
Beverwijck

1636

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 18
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1406

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 18
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1406

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 18
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1406

Edele, gestrenge, wyse, hooggeleerde heere,
Heere Constantyn Hugens Ridder,
Heer van Zuylechem &c.
Raedt, en Secretaris van
Syn Princ.^le Excell^tie.

in s'Graven-Hage.

Anno i parchis

port

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 18
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1406